



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

13.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

*Salas & alij communiter.* Tenetur ergò saltem indirectè suis legibus, quarum observatio ac usus æquè Principem ac subditos decet, oriturque huiusmodi observatio non ex ipsa lege formaliter, sed immediatè & proximè ex ipso jure naturali & honestate rationis. *Baldus lib. 2. Cod. de Servitut. num. 40. Felinus cap: 1. de constit: num. 30. & 31.* quatenus ratio præscribit, ut quas leges Princeps condit, ipse eas observet, seque membris suis, quorum caput est, conformet. *D. Thomas 1. secunda q. 69. ab tertium.* turpis enim pars est universo suo non congruens. *S. Augustinus libr: 3. confess: cap: 8.*

13. Difficulus explicatur, an ex vi directiva Legislator obligetur sub mortali ad eas servandas? arbitror probabilius esse semoto scandalo Principem non servando leges fundatas in jure humano non peccaturum mortaliter, nisi eas servaturum se juraverit, *Lessius libr. 2. cap. 35. disp: 5. n. 34. Azor. loco cit. cap. 11. q. 1.* quia non videtur gravis deordinatio Legislatorem non conformari subditis in observantia Legum, ad quas solùm indirectè ex quadam

dam honestate & conformitate naturali  
tenetur. *Salas de leg. disput. 14. Sect: 2. n. 16.*

Ob quam rationem aliqui docent Reli-  
giosum factum Episcopum solum teneri  
(præter tria vota) ad observantias religio-  
sas sub peccato veniali *Cajetanus Tom: 1. o-  
pus. 15. q. 3. Scotus 7. Inst: q. 5. art. ult.*

14. Neque ex his, quod Princeps suis  
constitutionibus indirectè ad culpam af-  
ligari possit, inferre licet, pœnâ quoq; à se  
statuta ligari posse *DD. communiter. Ferdi-  
nandus Mendoza 1. de pactis cap. 5.* nam esto  
fortasse statui aut dignitati eius pœna ali-  
qua v. gr. pecuniaria disconveniens non  
esset, repugnat tamen pœnam ut pœnam  
spontè ab aliquo assumi, quin hoc ipso  
quod spontè assumatur, id quod potissi-  
mum in pœna, amittat, nempe id quod est  
esse afflictivum voluntatis, ut perspicuè  
docet *illustre huius Universitatis lumen Fran-  
ciscus Amicus. Tom: de just. disp: 5. de leg. Sect: 13.  
n. 310.* & jura passim comprobant *L. ille à  
quo §. tempestivum ff. ad Trebell: & sacri Ca-  
nones confirmant, juxta quos pœnam ex-  
communicationis nemo in seipsum ferre  
potest cap. 1. de sentent: excom: Gl: cap. licet*